



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Litterae Iohannis Dioclien. & Antibaren. Archiepiscopi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

## 452 Epistolarum Innocentij III.

catoribus preces ad Dominum fundatis. Demum verò paternitatem vestram nolumus latere quia hæresis non modica in terra Regis Vngariae, videlicet Bessina, pullulare videtur, in tantum quod peccatis exigentibus, ipse Bacilinus cum uxore sua, & cum sorore sua, qua fuit defuncti Mirosclovichemensi, & cum pluribus consanguineis suis seductus, plusquam decem millia Christianorum in eandem hæresim introduxit. Vnde Rex Vngariae exacerbatus, illos ad vestram præsentiam compulit venire à vobis examinando. Illi autem simulatis litteris redierunt, dicentes à vobis concessam sibi legem. Vnde rogamus ut Regi Vngariae suggesteritis ut eos à regno suo evellat, tanquam zizania à tritico.

### LITTERÆ B. MAGNI IUPANI totius Serviæ.

Epist. 177.  
Se Pontifici  
offert atque  
commendat.

**I**nnocentio Dei gratia Summo Pontifici & universalis Papæ Romanae Ecclesiæ beatorum Apostolorum Petri & Pauli, S. eadem gratia & sancta oratione vestra Magnus Iupanus totius Serviæ salutem, tanquam patri suo spirituali. Litteras sanctitatis vestræ recepimus, & bene intelleximus ea que venerabiles Legati vestri, scilicet Iohannes Capellanus & Simon Subdiaconus, tam in litteris quam in ore eorum narraverunt nobis. Gratulamur itaque magnæ sanctitati vestræ quia non tradidisti nos in oblivionem filios tuos, sed recordatus es de nobis. Nos autem semper consideramus in vestigia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut bona memoria pater meus, & præceptum sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper custodire; & in proximo legatos nostros vellemus transmittere ad sanctitatem vestram. Nos autem locuti sumus dictis venerabilibus tuis Legatis, quoniam ipsi cum ore eorum narrabunt sanctitati vestræ eloquia mea.

### LITTERÆ I O H A N N I S Dioclien. & Antibaren. Archiepiscopi.

Epist. 175.  
Gratia sagit  
pro transmiso  
Pallio, & quid  
Legati aposto-  
lici in corri-  
gendi moribus  
effecerint de-  
clarat.

Vide suprà lib.  
1. epist. 525.  
535.

**S**antissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia Summo Pontifici Iohannes Diocliensis & Antibaren. Ecclesiæ humilis minister, tam debitam quam devotam obedientiam. Gratias uberes refero sanctissimæ paternitati vestræ de honore Pallij & pontificalis officij plenitudine, quam mihi per Dominum Iohannem & Dominum Simonen

familiares & Legatos vestros concedere dignati estis. Ego autem omni tempore vite meæ ad devotionem vestram & filialitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ promptum habeo animum modis omnibus & paratum. Notum siquidem facio sanctitati vestræ quod prefati Legati vestri ea quæ corrígenda & ordinanda fuerunt, ita cum prudentia & honestate per Dei gratiam ad honorem vestrum & sanctæ Romanæ Ecclesiæ tractaverunt, quod Dominus Rex & totus populus eorum opera commendantes, ad pedes vestræ sanctitatis effecti sunt modis omnibus promptiores. Ego verò in proximo nuntios meos ad pedes vestræ sanctitatis transmittam, qui devotionem meam paternitati vestræ pleniū declarabunt.

**I**n nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Nos Iohannes Capellanus & Simon Subdiaconus Domini Innocentij Papæ tertij, apostolice sedis Legati, ad evellenda nociva de agro dominico, & virtutum plantaria utiliter inferenda, videntes plura in Clero & populo Dalmatiae & Diocliae corrígenda, de sanctorum patrum Conciliis decreta præsentiā duximus innovanda.

#### I.

In primis itaque decernimus ut nullus Episcopus aliquem ad sacros ordines per pecuniam promovere, seu ecclesiastica beneficia alicui pretio interveniente concedere præsumat. Cum enim Dominus præcepit Apostolis, *Gratis accepisti, gratis date*, & Spiritus sancti gratia venalis esse non possit, quæ in sacrâ confertur ordinibus, gravi penitendum est pena qui Spiritus sancti dona venalia exponere non veteret. Quocirca præsenti decreto statuimus ut quicunque Episcopus hoc agere coniugis fuerit, omni ecclesiastica caret dignitate, & sine spe restitutionis tam ille qui dederit, quam ille qui scienter sacros ordines pecunia interveniente repperit, perpetuo deponatur.

#### II.

Cum Domini Sacerdotes, & hi qui sacro altari serviri, continent vivere debeant, juxta illud, *Mundamini qui fertis vas Domini, in partibus Dalmatiae atque Diocliae Sacerdotes & uxores habere & ecclesiæ tenere dicuntur. Quocirca præsenti decreto statuimus ut Sacerdotes & Diacones ante suscepimus officium, nisi eorum conjuges in manu Episcopi votum fecerint continentia, uxores habentes, cum ipsis maneat, & Ecclesiæ dimittant. Non enim possunt secundum ordinem Romanæ Ecclesiæ manentes in conjugio, nisi defunctis uxoribus, aut continentiam votibus, si digni inventi fuerint, ad sacerdotium promoveri. Illiverò qui post suscepimus faceret vel diaconatus honorem, adulteris potius quam uxores accepisse probantur, nisi eas dimiserint, & dignam egerint penitentiam, ab officio & beneficio ecclesiastico sicut penitus alieni. Prohibemus etiam ne aliquis Episcopus, nisi in quatuor temporibus juxta sanctorum patrum constitutionem,*

aliquem ad sacros ordines promovere præsumat. Solus enim Romanus Pontifex dominicis diebus Subdiaconos ordinare potest. Cum autem Episcopus ordinationem fecerit, non nisi unum ordinem à Subdiacono & supra conferre præsumat. Ordinatus autem in Subdiaconum, ad minus per annum in eodem officio deferviat. & Diaconus similiter faciat. Quicunque autem Episcopus contra hoc venire præsumperit, tamdiu a conferendis ordinibus ablineat, donec à Romano Pontifice misericordiam consequtatur.

## III.

Quoniam secundum gradus & ordines perfunctorum beneficia ecclesiastica in domo Domini secundum sanctorum patrum constitutionem distributa noscuntur; decimus ut decimæ, seu oblationes fidelium tam pro vivis quam pro defunctis, in quatuor partibus dividantur: quarum una sit Episcopi, alia Ecclesiastum, tercia pauperum, quarta Clericorum. Portionem quidem pauperum Episcopus administrabit; portionem vero Ecclesiastum Archipresbyter conservet, & ex mandato Episcopi in usibus Ecclesiæ fideliter expendat. Quicunque autem Clericorum contra hoc venire præsumperit, sua portione privetur.

## IV.

Districtiis inhibemus ne aliquis Sacerdos filii vel filie spiritualis privatam confessionem alieni revelare præsumat. Quod si facere convictus fuerit, officio & beneficio ecclesiastico perpetuo spoliatur. Idem dicimus de quolibet Clerico qui de homicidio, adulterio, perjurio, falso testimonio publicè accusatus fuerit & convictus.

## V.

Cum terrenarum potestatum nuntijs five ministris honor exhibeatur ab omnibus, multò magis ministris Dei honor a laicus exhibendus est; à quibus eis non solum divina celebrantur officia, verum etiam sacram baptismi & Corpus Domini & penitentia & cetera ecclesiastica sacramenta jugiter ministrantur. Quapropter juxta decretum Do-

Cap. Si quis mini Innocentij Papæ II. districtiis inhibemus  
fuerit. 17. ne aliquis in persona Episcopi five Sacerdotis  
vel cuiuslibet Clerici vel religiosi viri violentas  
manus injicere præsumat. Quicunque autem hoc  
attentaverit, tamdiu excommunicatus maneat,  
donec de tanta præsumptione satisfacturus, apostolico se confiteatur, vel ab ejus Legato,  
præstata congrua satisfactione, absolutionis  
beneficium consequatur. Similiter sub excommunicatione prohibemus ne aliquis laicus Clericum  
ad peregrina iudicia trahere præsumat, veluti can-  
dentes ferri, vel aquæ, vel cuiuslibet alterius iudicii.  
Non enim pertinet ad laicum, Clericum iudi-  
care. Si autem Clericus peccaverit, ab Archiepisco  
vel Episcopo vel etiam Prælato suo aut Ro-  
mano Pontifice, si necesse fuerit, judiceretur.

## VI.

Cum sacra Romana Ecclesia, qua mater  
est omnium Ecclesiarum & magistra, decreverit ut  
nullus Christianus usque ad septimum consanguinitatis  
gradum conjugium contrahere præsumat,  
grave nimis est & divini dignum animadversione  
judicij quod in partibus Dalmatia ac Dioclia à  
multis factum in veritate comperimus ut homines  
Dei timorem non habentes cum consanguineis in

quarto & quinto gradu, vel infra, contra sanctorum patrum constitutionem conjugia contrahere non formident. Quapropter presenti decreto statuimus ut quicunque in quarto gradu presentem, vel infra, conjugia habere convincetur, nisi ad mandatum Ecclesiæ satisficerit, & à sue consanguinitatis incesta conjunctione recellerit, tamdiu maneat excommunicatus & ab omnibus Ecclesiæ sacramentis separatus, donec à nefaria copula separetur, & ad mandatum Ecclesiæ satisfaciatur.

## VII.

Item præcipimus ut Clerici rasuram & tonsuram teneant clericalem. Qui autem hoc non fecerit, ab Episcopo districione canonica compellatur.

## VIII.

Cum duæ sint in terris potestates à Domino constitutæ, spiritualis videlicet, & secularis, & una de spiritualibus & ecclesiasticis, altera de secularibus habeat judicare, grave committit peccatum quicunque laicus vel Ecclesiæ donare vel ecclesiasticas personas judicare præsumit. Quocumque presenti decreto statuimus auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli & Domini Papæ Innocentij, ut quicunque Clericus de manu laica Ecclesiæ vel ecclesiastica beneficia receperit, tam qui dederit, quam qui repperit, tamdiu excommunicationis vincula te-  
neatur astrictus, donec ad mandatum Ecclesiæ plenariè satisfaciat; & quod contra sacros canones factum fuerit, irrum habeatur & vacuum. Illos autem laicos qui ante constitutionem istam Ecclesiæ donaverunt, vel in ecclesiasticas personas manus injecerunt violentas, volumus per Episcopos tertio commoneri; & nisi penitentiam egerint competentem, eadem sententia teneantur astricti.

## IX.

Excommunicamus omnes illos qui thesauros Ecclesiæ in iustæ detinent, donec restituant, & eos qui Latinos detinent in servitute, nisi recepta pecunia, quam dederunt, eos pristinæ restituant libertati.

## X.

Item excommunicamus omnes illos qui proprias dimiserunt uxores vel de cetero dimiserint sine iudicio Ecclesiæ, donec ad ipsas revertantur.

## XI.

Prohibemus etiam ut filij Presbyterorum, & qui de legitimo non sunt nati matrimonio, ad sacros ordines non accedant.

## XII.

Similiter prohibemus ut nullus ordinetur in sacerdotem, nisi trigeminum expleverit annum.

Ego Frater Iohannes Domini Papæ Capellanus, apostolice sedis Legatus, scripsi & subscripsi.

Ego frater Simon Domini Papæ Subdiaconus, apostolice sedis Legatus, subscripsi.

Ego Iohannes Dioclesianus & Antibarenensis Archiepiscopus subscripsi.

Ego Dominicus Archipresbyter Arban. subscripsi.

Ego Petrus Scuarin. Episcopus subscripsi.

Ego Iohannes Polatinus. Episcopus subscripsi.

Ego Petrus Arvastinus. Episcopus subscripsi.

Ego Dominicus Soacinen. Episcopus subscripsi.

Ego Natalis Dulcimen. Episcopus subscripsi.

Ego Theodorus Sarcanen. Episcopus subscripsi.

L 11 iij